

A rō dolor parias, & crudas, frigidasque inflammationes non sequitur, sed duntaxat magnas, calidas, & vigentes. Ex quibus facile patet, quānam sint symptomata, quæ nunquā possunt à pleuritide seiungi: quæ verò ob loci diuersitatem vel materiam, aut tempora diuersa, vel complicatos affectus aut suas differentias illi contingant: quæ item communia sint illi cum alijs; & demum quæ propria, & illi peculiaris sint statuenda. Nam pleuriticis omnes hæc sequuntur, spirandi difficultas, tussis, febris, idque per vniuersum morbi cursum: vt plurimum verò etiam accedit dolor, & is punctorius, & fixus, sputū cruentum, febris vehemens, durus, & tensus pulsus, & aliæ illius differentia, quas febris parit; nullum tamen si quis spectet, proprium est pleuriticorum indicium, quando singula symptomata prædicta multos alios morbos comitantur; fiunt tamen nonnulla ex illis propria, si ad affectus reliquos thoracis comparentur. Nam punctorium dolorem nulla alia pars, aut affectus, quā pleuritis in thorace committit. Igitur ab effectibus hoc modo pleuritidis notæ sumuntur, augent coniecturam signa, quæ sumuntur à causis, & similitudine. Nam si præcesserunt illa quæ solent pleuritides parere, aut iuuant vel lædunt laborantes, quæ solent prodesse, aut obesse huiusmodi malo, si præterea nouimus alios, qui eo tempore morbis fuerunt correpti, pleuritide laborasse, idem erit de eo sentiendum, cuius affectus notæ quærimus. Porro exquisitam pleuritidem, in qua scilicet membrana interior primario laborat, ostendunt notæ, quæ partem illam affectam potissimum sequuntur; maior inquam dolor magis extensus ad vtramque partem, lateque fusus, punctorius magis, maior tensio, interior illius sensus, febris vehementior, duriores pulsus, crebriores, & minores; sic respiratio crebrior, difficilior, minorque euadit; tussis quoque magis irritat, & aliquid plus expuitur, faciliorque est decubitus in latus affectum, difficilior verò in aliud. Quod si suprema membrana pars laborat, situs doloris maxime id ostendit, & iuuantes causæ. Magis enim (inquit Hippocrates) hi quā alij iuuantur venæ sectione. Quod si musculi inflammationem patiuntur, vel cum illis etiam exterior membrana, tactu, & nonnunquā visu deprehenditur inflammatio sine tussi, aut cum exigua afficitur æger, vrgetque dolor, & tenuius, & pulsatorius, qui si spirando magis sentitur, internos musculos, si verò expirando, externos grauius laborare ostendit. Respiratio minus læditur, pulsus haudquaquam durus, minor febris, in latus affectum decubitus difficilis, ac manus tota moueri sæpè impeditur. Malignam verò pleuritidem ostendunt doloris carentia, aut maior vehementia, quā testetur febris, minor scilicet aut in internis partibus latens; sitis maior, aut minor quā pro febris natura. Aliquando delirium, syncope, linguæ ariditas absque siti, pulsus inordinati, intercepti: multum sputum quod hominem non alleuiat, vel paucū, illudque vel æruginosum, vel liuidum, vel nigrum, aut impermixtum, aut cum difficultate excretum. Quinetiam vrina suppressa, aut quæ emittuntur nigra, liuida, aquosa. Item color in corpore, vel parte affecta ad liuiditatem, vel nigritiem vergens; ac reliquæ qualitates, an malignam dispositionem sequuntur, hæc inquam vt pessimam febrem, & malignam, sic inflammationem, à qua illa nascitur, ostendunt. Præterea nullis remedijs iuuantur, aut certè paucissimis, qui maligna pleuritide laborant. Ad hæc corporis habitus qui malignos humores gignit; necnon causæ quæ morbum intulerunt malignæ, idem testantur, quemadmodum & illud indicium, quod à similitudine sumitur. Nam si malignæ pleuritides grassentur, non immeritò putabimus & illam, de qua agimus eiusdem generis esse. Contraria verò indicia benignam ostendent. At magnam pleuritidem monstrant signa, quæ ipsam pleuritidem ostendunt, aucta. Magnus enim dolor, qui se ad omnes membranae partes, aut saltem à medio ad iugulum, vel septem transversum extenditur. Pulsus vehementer durus, frequens, cereberrima, difficilisque; admodum respiratio, vehemens febris, & quæ eam sequuntur accidentia, sputum præterea rubrum, & multum, necnon causæ, quæ illam pepererunt magna, multusque humor in corpore redundans, idem testatur. Est quoque illa magna, quæ non nisi à magnis remedijs iuuatur, à contrarijs autem facile læditur. Parua autem est, quæ contrarias habet notas. Iam verò materiam pleuritidis ostendunt propria singulis humoribus indicia. Igitur à sanguine eam fieri ostendent dolor vehemens, febris simplicior, vehemens tamen, & quæ nullas accessiones habeat. Item sputum rubrum, rubraque vrina, cita maturatio, & expurgatio; ruber in corpore color, venæ tumida. Præterea habitus corporis, victusque præcedens, qui sanguinem plurimum procreandi vim habuit. Qua ratione & ætas, & annus tempus idem monstrant. Necnon iuuantes, ledentesque causæ, & similitudines idem docebunt. Biliosam verò pleuritidem declarant dolor admodum pungens, sed non perinde distendens, pulsus durus, crebri, febris vehemens admodum, tertianæ modo infestans, cereberrima respiratio, sputum & vrinae flauæ, nonnunquam etiam delirium. Ad hæc habitus corporis; ætas, victus præcedens biliosus, iuuantes, ledentesque causæ, & similitudines idem ostendent. At pituitosam sequitur remissior, & humidior febris, quæ quotidie exacuitur, dolor non admodum pungens, sed potius cum quadam grauitate hominem vrgens pulsus molliores, tardioresque. Sputum spumosum, viscidum, candidum, & quod non admodum tardè procedit, & nonnunquam sopor, & reliqua huiusmodi symptomata, quæ indicia sunt pituitæ redundantis. Ad hæc causæ, quæ pituitam gignunt, iuuant, aut lædunt, & similitudines præbebunt sua indicia. Iam melancholicum testantur febris remissa, sed maligna, accidentiaque maligna, & magna in pulsu, somno, vigilia, & reliquis corporis, animique actionibus. Expuunt & hi parum, & diffi-